ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Vir Nobilissime

Si me decempedâ humanitatis et amoris tui metiri pateris, assurgerem utique ad tam benignum de me judicium quod priores tuae continent literae, Nunc, quia hoc meo soleo pede, colligo me intra testam meam et ad ὑπερβολὰς tuas nihil respondeo, praeter pudorem et modestiam. Non eo tamen inficias plurimum me affici istis tuis literis dextramque illam avide amplecti, quam humi repenti porrigis, ad quam me erigo et, quod infantibus evenit, ad eam me stare propriis viribus fere crediderim nisi imbecillitatem meam nossem, non facile illam dimissurus

Ne spissâ jaceam revolutus arenâ.

Eram nunc in tuis ἀποκνίσμασι (quorum aliqua in patrium mutavi sermonem, quod vereor ut satis succedat quia Anglicae linguae sum imperitus) cum ad me veniunt aliae tuae literae cum divite penu et varia supellectile. Video hic inclusos utero Danaos, Laetique cavo se robore promunt Tisandrus Sthelenusque — quos non attingo, antequam hunc qui haec ad me defert dimisi cum paucis hisce lineis quem sine ijs dimittere nolui, neque longioribus morari audeo. Vale vir Maxime et me ama.

Tuae Nob.tis observantissimus

J Westerbaen

v. Cal. April.
clↄ Iↄc LIII.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Westerbaen) 9
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5285

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Westerbaen) 9
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5285

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Westerbaen) 9
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5285

Aen Myn Heer

Myn Heer van Zuylichem &c

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Westerbaen) 9
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5285